

in proposito; nam generale est, quod affirmanti incumbat probatio. L. 2. ff. de Probatione.

46 Resp. II. In casu assertæ amissionis depositi, vel commodati non sufficit probare amissionem, sed insuper eam asserens, probare tenetur, quod evenit absque culpa sua; alias præsumitur contra eum. Ita Mascardus de Probatione. Concl. 87. num. 2. allegans alios. Siquidem amissio, sive factum rei, præsumitur factum ex culpa illius, qui ad ejus custodiam tenetur. l. Cum duobus. §. Damna. ff. Pro socio: donec contrarium probetur.

47 Atque istud ampliatur ad casum, quo notorie constat de amissione rei alienæ, sed ille casus de facili non contingit sine culpa: ut est incendium in domo propria. Nam etiam tunc necesse est probare, quod casus fortuitus, v. g. incendium, absque ulla culpa sua exortus fuerit, sicque res aliena perierit: alioquin primâ fronte præsumitur contra asserentem. Abbas cap. 2. n. 9. h. t. Mascardus de Probatione. Concl. 88. num. 12. allegans alios. Secus dicendum de cæteris casibus fortuitis, qui ut plurimum contingunt sine culpa: ut irruptio hostium, fulmen &c. Nam in istis præsumitur culpam abesse: atque ideò hanc alleganti, incumbit onus probandi. Abbas cit. n. 9.

48 Resp. III. Quod si res deposita vel commodata, dicatur amissa per casum fortuitum occultum, ut puta, per furtum noctu commissum: tunc sufficit eum probare per conjecturas, habito respectu ad qualitatem personæ, temporis, aliarumque circumstantiarum: probando v. g. fores noctu fuisse perforatas; aut cistam fractam, ubi conservabantur res depositæ, commodatæ &c. Ita Abbas cit. cap. 2. n. 8. h. t. Pirhing eod. num. 3. Mascardus d. Concl. 88. allegans alios. Idque probatur ex l. Non omnes. §. A Barbaris. ff. de Re militari. ubi in simili, quod miles captus fuerit ab hostibus, non autem transfugerit ad eos, argumentis, seu conjecturis probandum esse dicitur, si liquidè de hoc constare non possit.

49 Quæritur IV. Utrum Ecclesia, vel Monasterium teneatur ex deposito facto vel clericum, seu Rectorem Ecclesiæ, aut Monasterii, quod postmodum dolo, vel culpa istius perierit? Resp. Negative: dummodo res illa deposita non fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii. Ita habetur decisum cap. 1. h. t. ubi Abbas in Summario, & Barbosa in Collectan. nu. 1. alique communiter. Accedit ratio: tum quia delictum personæ (seu Clerici, aut Prælati rem depositam contractantis) non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, juxta Reg. 76. Juris in 6. Tum quia depositum personæ Clerici, vel Prælati, non Ecclesiæ supponitur esse commodatum; ut ibidem loquitur textus.

50 Secus foret dicendum, quando Prælati una cum Capitulo, vel conventu, depositum in suam fidem & custodiam recepisset: quia tunc obligatur Ecclesia, vel Monasterium, ad instar aliorum Depositariorum, juxta Glossam cit. cap. 1. §. Personæ. in fin. communiter receptam. Nam Prælati & Capitulum, repræsentant Ecclesiam, arg. can. Scire. 7. q. 1. & c. Requisivisti. 15. de Testamento. ac notat Pirhing h. t. n. 13.

51 Additur tamen in Conclusionem, dummodo res deposita non fuerit conversa in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii. Alioquin etiam Ecclesia, vel Monasterium teneretur reddere id, quod dolo, vel culpa Depositarii, ad ipsam pervenit ex deposito: alioquin enim locupletaretur cum alterius jactura, contra l. Nam hoc ff. de Conditione. indebit. ubi Jurisconsultus, lumine naturali instructus, inquit: Hoc naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletariorem.

Quæritur V. Quotuplex actio oritur ex Deposito? Resp. Duplex, directa videlicet, & contraria. Actio directa depositi est, que datur Depositori, vel ejus hæredi, adversus Depositarium, vel hæredem istius, ad repetendam rem depositam, quandocunque voluerit, l. 1. §. Est autem. & §. Si deposuero. ff. h. t. Item, si res deposita dolo, vel culpa latè Depositarii, fuit deteriorata, vel penitus amissa, eadem actio directa competit Depositori ad recipiendam æstimationem, seu pretium ipsius, §. Præterea. Insti. Quibus modis re contrah. obligat. & l. 1. §. An in pupillum. ff. h. t. Adde dicta superius n. 9. & 11. & 14.

Actio contraria depositi e contra dicitur ea, quæ competit Depositorio adversus Deponentem ad repetendas impensas in rei depositæ custodia factas; aut evitandum damnum, si quod inde incurrit, l. Actio depositi. ff. h. t. quia Officium suum nemini debet esse damnosum, l. Si servus communis. §. Quod verò. ff. de Furtis. Zoëtus h. t. nu. 2. Vallesius eod. n. 4. Sannig ibid. cap. 2. n. 6.

TITULUS XVII.

De Emptione & Venditione.

I Ratio continuationis Rubricarum.

Vilium est hæcenus de quibusdam contractibus, qui in gratiam unius tantum, dantis nempe, vel accipientis sunt instituti; ut sunt Precarium, Commodatum, & Depositum. Restat modò videre de nonnullis contractibus, qui in gratiam utriusque celebrantur; inter quos, quia præcipuus numeratur contractus Emptionis, & Venditionis, meritò eundem aliis præpositi Juris Compiler. Et quamvis SS. Canones pauca de illo scribant; nihilo minus quia continet materiam summè præcieam, scituque summè utilem & necessariam, pro sua dignitate eam examinare conabimur, probationes in defectu Canonum ex Jure Civili, quod amplissimè de eo agit, asserentes, ipsis fidei studentibus SS. Canonibus cap. 1. & 2. de Novi operis Nunt.

§. I.

De natura, seu Substantia Emptionis & Venditionis, ac requisitis ad eam.

SUMMARIUM.

- 2 Emptio, Venditio quid?
- 3 Est contractus bonæ fidei.
- 4 Persicitur solo consensu contrahentium.
- 5 Dominium tamen ante traditionem rei venditæ non transfertur.
- 6 Est obligatorius uterò citroque.
- 7 Materia ejusdem est merx latè sumpta.
- 8 Merx propriè sumpta quid? Ibid.
- 9 Pretium in Emptione debet esse pecunia.
- 10 Pecunie & Emptionis origo.
- 11 Emptio venditio melius dicitur duplex, quam simplex contractus.
- 12 Et particula cadit inter diversa.
- 13 Triasubstantia Emptionis.
- 14 Primum est verus consensus.
- 15 Secundum res, seu merx; & quidem certa.
- 16 Tertium Pretium determinatum.
- 17 Emptio pro pretio indeterminato quando valeat?
- 18 Non requirit certam verborum formam, nec scripturam.
- 19 Nisi desuper expressè conveniant contrahentes.

17 Se

§. I. De Natura, seu Substantia Emptionis &c.

17 Secus est, quando expressa conventio abest, vel de eo dubitatur.

Scriptura, seu Instrumentum scriptum quare adhibeatur. Ibid.

18 Quando in contractu partim pecunia, partim alia res datur, aut promittitur, attendendum est ad intentionem contrahentium, & juxta illam contractus judicandus erit, quando nec res, nec pecunia prævalet.

Contractus ex conventionem & intentionem contrahentium legem accipiunt. Ibid.

19 Si alterutrum, res nempe vel pecunia in contractu dara vel promissa prævalet, judicandus erit contractus juxta excessum.

20 Etiam si aliud intendant, & expriment contrahentes.

21 Quando nec res, nec pecunia prævalet, nec de intentione contrahentium constat, qualis tunc sit contractus, multum discrepant DD.

2 Quæritur I. Quid sit Emptio & Venditio; & an unum, vel duplicem importet contractum?

Resp. I. Emptio & venditio est contractus bonæ fidei, solo consensu initus, utroque citroque obligatorius de merce pro pretio, & e contra de pretio pro merce tradenda. Ita in re communis, arg. l. 1. de Contrah. Empt. vendit. Dicitur primò, Contractus, loco generis.

3 Dicitur secundò, bonæ fidei, non quasi alii contractus essent male fidei, sed ad distinctionem contractuum stricti Juris; de quorum natura, & quomodo differant à contractibus bonæ fidei, actum est supra lib. 1. Tit. 35. de Pactis. quòd autem Emptio & Venditio sit contractus bonæ fidei, patet ex §. Actionum autem. 28. Insti. de Actione. Hinc in contractu isto multa potest arbitrari Judex, quæ secundùm bonam fidem contrahentium censentur contractui inesse, licet verbis non fuerint expressa, juxta dicta in citato Tit. 35. de Pactis. §. 6. n. 119. & seqq.

Dicitur tertio, solo consensu initus, eo quòd non requiritur actualis traditio pretii pro merce, & e contra, sed solus sufficit mutus contrahentium de hoc faciendo consensus, Insti. h. t. in princip. ibi: Emptio & Venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit; quamvis noudum pretium numeratum sit. Unde per hoc distinguitur ab illis contractibus, qui non nisi actuali traditione rei persiciuntur; ut sunt Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus; licet enim quis tibi promittat mutuum, commodare equum, est tamen, donec id actualiter faciat, nec mutuum, nec commodatum, sed præcisè nudum pactum aderit l. Juris gentium. 7. §. Sed cum. 4. ff. de Pactis.

Porò quamvis, ut dictum, solo contrahentium consensu, per signum aliquod externum manifestato, habeatur substantia sive essentia Emptionis & Venditionis, indèque firma consurgat obligatio ex parte utriusque, ita ut nullus amplius penitere valeat, cum nihil magis bonæ fidei congruat, quàm id præstari quòd inter contrahentes actum est, l. Ex emptio. 11. §. 1. ff. de Actione. emptii, dominium tamen non transfertur, donec venditor mercem, & emptor actualiter tradat pretium; l. Traditionibus. 20. C. de Pactis: ibi Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. Concordat Nunquam. 31. ff. de Acquir. rerum dominio. Hinc Lessius lib. 1. c. 21. dubit. 1. n. 1. h. t. Azorius, & alii benè insenserunt, Emptionem & Venditionem solo mutuo contrahentium consensu perfici quidem quoad substantiam, non tamen quoad integritatem completam; utpote ad quam etiam ipsa reciproca mercis & pretii requiritur traditio.

6 Dicitur quartò, utroque citroque obligatorius; quia utriusque contrahentium revera obligationem imponit; emptori quidem ad tradendum pretium, venditori autem ad tradendum mercem venditam, l. Ex emptio. 11. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

in princ. ff. de Actione. empti. Et per hoc differt contractus iste à donatione, cæterisque contractibus, vel quasi contractibus, non utroque citroque, sed ex una solummodo contrahentium parte obligatorius.

Dicitur quinto, de merce pro pretio, & e contra tradenda: ubi per mercem quavis res pretio æstimabilis sive mobilis, sive immobilis intelligitur; non enim accipimus hic mercem in stricta & propria sua significatione, quæ Mercis appellatio ad res mobiles tantum pertinet, l. Mercis. 66. de V. S. sed accipimus mercem in lato sensu pro quavis re, ut dictum, pretio æstimabili, juxta l. Si in Emptione. 34. §. Omnium. 1. ff. de Contrahend. Empt.

Per pretium intelligitur nummus, seu numerata pecunia. Pretium enim, ut dicitur §. Item 2. Insti. de Empt. & Vendit. innumerata pecunia consistere debet. Unde ubi pecunia non intervenit, sed res una pro altera, merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non verò Emptio & Venditio erit: arg. l. 1. ff. de Contrah. Empt. ubi etiam Emptionis & Venditionis, sicut & ipsius pecuniæ origo narratur, his verbis: Origo Emendi Vendendique à permutationibus capiet. Olin enim nonita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque secundùm necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat; ut, quando plerumque evenit, ut, quòd alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facile concurreret, ut, cum tu haberes, quòd ego desiderarem, vicissim haberem, quòd tu accipere velles; electa materia est (pecunia nempe) cujus publica, & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Eoque materia, forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet, quàm ex quantitate: nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.

Resp. II. Quamvis Emptio & Venditio communiter accipiatur pro uno contractu, qui secundùm diversum personarum respectum duplex fortitus nomen, Emptionis nempe, respectu ementis, & Venditionis, respectu vendentis, prout cum communi aliorum benè advertunt Vallesius h. t. n. 1. Sannig eod. Tit. c. 1. n. 1. quia Veteres in emptione, Venditioneque, Appellationibus promiscue utebantur. l. Veteres. 19. ff. de Actione. Empti. Nihilominus Juri conformis dicitur, Emptionem, & Venditionem esse duplicem contractum, reciprocum tamen, & necessario conexum, ad instar correlativorum. Probatur conclusum tunc ex diversitate nominum atque obligationum hinc inde consurgentium: tum ex copula Et, quæ ponitur in Rubrica præsentis Tituli, ac debet cadere inter diversitas: & notat Barb. tract. de Vinditione. usu frequent. Diction. 110. n. 25. Accedit textus expressus in l. 1. ff. de Contrah. Empt. ibi: Aliud est vendere, aliud est emere: alius emptor, alius venditor. Siquidem emptio est pactio pretii pro merce; Venditio e contra est pactio mercis pro pretio. Quo tamen non obstante, quidquid dicitur de Emptione, idem de Venditione, & e contra servatà proportionem dictum intelligatur.

Quæritur II. Quænam requirantur ad essentiam, seu substantiam Emptionis, & Venditionis? Resp. I. Triasunt essentialia copulativè requisita ad Emptionem & Venditionem; videlicet 1. Liber, verus, perfectusque consensus. 2. Res seu merx certa. 3. Certum ac determinatum pretium. Ita communis, & certa, teste Cardinale de Luca de Empt. & Vendit. in Summa. n. 4. Probatur inductione.

Et quidem de consensu textus expressus est in l. In venditionibus. ff. de Contrah. Emptione, ibi: In venditionibus & Emptionibus consensum debere intercedere, palam est. Concordat L. 2. & 11. C. eod. Qui consensus, quòd verus, id est, non erroneus esse debeat, clarè patet ex cit. l. In Venditionibus. Si enim, ait textus,

Y

ego

ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti, quia in corpore dissensimus (seu erravimus) emptio nulla est. Verum si error non circa corpus, seu materiam, sed tantum circa nomen existat, & interim de corpore constat: nulla dubitatio est, quin valeat Emptio & Venditio: nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat. cit. in Venditionibus. An autem etiam valeat Emptio Venditio, & quid Juris de ea, si error contingat circa qualitatem vel quantitatem materiae; ut si pro pura ematur mixta, pro bona vendatur corrupta, pro integra tradatur diminuta, specialiter dicitur infra §. 7. Eod.

12 Res seu merx quoque quod ad substantiam Emptionis & Venditionis requiratur, claris habetur verbis, L. 8. ff. de Contrah. Empt. ibi: Nec Emptio nec Venditio sine re, quae veniat, potest intelligi. Quae res certa debet esse ac determinata, uti liquet ex cit. L. In venditione. ff. de Contrah. Empt. & magis adhuc patebit ex dicendis §. sequenti, ubi principaliter examinabitur, quam rem emi vendique possint.

13 Tandem, quod etiam pretium & quidem determinatum sit de substantia Emptionis & Venditionis, aperte constat ex §. Pretium. Instit. h. t. ubi dicitur: Pretium constitui oportet; nam nulla Emptio sine pretio esse potest. Sed & certum pretium esse debet. Concordat L. 2. de Contrah. Empt. Hinc invalida est venditio, si vendens dicat, tibi tibi vendo, quanti valet; vel: vendi tibi hanc rem iusto, quo valet, pretio. Pariter valore carebit Emptio & venditio, cum emere volentis venditor dicit: quanti velis, quanti equum paraveris, quanti aestimaveris, habebis emptum; prout verbis formalibus loquitur l. Quod sepe. 35. §. 1.

14 Valebit autem Emptionis, & Venditionis contractus, quando venditor dicit: tanti tibi hanc rem vendo, vel tanti hanc rem a te emo, quanti eam Judex, aut hic vel ille aestimaverit, aut taxaverit, §. 1. Instit. h. t. dummodo postea ille, qui nominatus est, rem seu mercem re ipsa taxet. Si autem ille vel noluerit, vel non poterit pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. expressis verbis statuitur cit. §. 1. prope finem. Instit. h. t. Plura de Pretio infra §. 5.

15 Resp. I. Ad substantiam Emptionis, & Venditionis non requiritur certa forma extrinseca; sed fieri potest in scriptis, vel sine scriptis, sicut & quavis verborum forma consensus interni sufficienter expressiva. Ita communis, arg. In princ. Instit. h. t. junctim. L. fin. C. cod. L. 17. C. de Fide instrum. & L. 4. ff. de Pignor. ibi: Nec ad rem pertinet, quibus fiat verbis & c. in his obligationibus, quae consensu contrahuntur: Ideo & sine scriptura & c. res obligata erit.

16 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo contrahentes expressè conveniunt, se non nisi in scriptis contrahere velle, ita, ut donec scriptura, seu instrumentum scriptum super contractu sit erectum, omnibusque numeris absolutum, contractus non valeat. Haec limitatio expressè posita habetur in princ. Instit. h. t. ubi etiam additur, licitum esse cuivis contrahentium poenitere seu recedere, usque dum instrumentum perfectè sit absolutum. Concordat, & rem magis declarat l. Contractus 17. C. de Fide instrum. & ibi DD. communiter.

17 Quod si verò contrahentes de scriptura necessario adhibenda expressè non conveniant, sed duntaxat dicant, se velle facere, ut cras v. g. vel proximo tempore super contractu celebrato scriptum erigatur instrumentum, vel scriptura; vel ipso facto absque verborum ambage in scripturam contractum redigant, praesumitur, id solummodo majoris probationis, & securitatis gratia factum esse, ut proin ante scripturam perfectè completam & absolutam, poenitere, vel à contractu recedere eis non liceat. Quod idem dicendum, quotiescunque considerans considerandis ma-

net dubium, an contrahentes scripturam tanquam necessariam conditionem sine qua non, an verò solius majoris probationis ac securitatis gratia adhiberi voluerint; uti cum communi aliorum contra Tolofanum Syntag. lib. 25. c. 17. Paulum Castrensem, & nonnullos alios docet Tufchus §. Contractus Concl. 99. Haunoldus Tract. 10. c. 1. Controv. 4. n. 15. Ratio est; quia meritò praesumitur, quomodo contrahere velle juxta naturam contractus, si aliud expressè non declarat: ergò, cum natura emptionis ac Venditionis sit, quod etiam sine scriptura subsistat, L. 4. ff. de Pignor. procul dubio sine scriptura quoque contractus Emptionis valebit, ubi de alia intentione contrahentium expressè non constiterit. Praesertim, quod scripta instrumenta de contractibus solo consensu initis, secundum Jura non nisi pro faciliiori probatione fiant, cit. L. 4. ff. de Pignor. Fiant enim (sunt verba legis) de his scripturae, ut quod actum est, per eas facilius probari poterit: & sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem. Concordat l. Cum res. 12. C. de Probat. Queritur III. An etiam Emptionis & Venditionis, vel potius alius sit contractus, si Emptor partim pecuniam, partim aliam certam rem loco integri pretii pro merce pacificatur? Ratio dubitandi sumitur ex supra cit. §. 2. Instit. h. t. v. cuius pretium in numerata pecunia consistere debet. Nec inutiliter, aut de solo nomine proponitur haec quaestio; cum alios effectus pariat Emptio Venditio; alios Permutatio, vel contractus innominatus do, ut des; uti partim ex dictis, partim ex dicendis patet, & patebit. Resp. I. Si in hujusmodi contractu ex parte alterutris, pecunia nempe, vel rei, quae loco integri pretii pro alia re datur, non est notabilis excessus, attendendus est ad mentem & intentionem contrahentium, adeò, ut pro tali sit habendus contractus, qualem ipsi celebrare intenderunt. Praesumitur autem talis fuisse eorum intentio, qualem verbis exprimit, ita ut, si in contrahendo utantur vocabulo Emptionis Venditionis celesantur intendisse, eundem contractum inire: si verò adhibeant vocabulum permutationis, eandem intendisse praesumantur. Ita Bartolus in L. 34. ff. h. t. quem sequitur Haunoldus Tract. 10. c. 1. Controv. 3. n. 9. Köning h. t. n. 12. & teste Molina Disp. 336. n. 6. communis aliorum, arg. L. 6. §. 1. ff. de Action. Empt. Ratio est; quia ubi jura specialiter non obstant, Contractus ex conventionne ac intentione contrahentium legem accipiunt L. 1. ff. de Depositi, & Reg. 85. de Reg. Jur. in 6. Intentionem autem agentium ex verbis desumitur: cum nemo existimandus sit dixisse, quod in mente non agitaverit, L. 7. §. 2. ff. de Supell. leg. Dicitur notanter, Si ex parte alterutris, pecunia nempe, vel rei, quae loco integri pretii pro alia datur, non est notabilis excessus. Nam

Resp. II. Si ex parte alterutris notabilis apparet excessus, ita ut multum praevaleret pecunia, erit Emptio, Venditio: si autem in valore notabiliter excedat res illa, quae una cum pecunia pro alia re datur, erit permutatio; etiam si contrahentes alium contractum celebrare intendant, eumque verbis exprimat, nominando priorem contractum, ubi pecunia praevaleret, contractum permutationis; posteriore e contra, ubi valor rei excedit Emptionem. Sic v. g. si quis pacificatur dare alteri pro agro domum constantem 1000. florenis, & insuper 20. florenis, erit permutatio; etsi pacificantes contractum Emptionis Venditionis intendat & exprimat: e contra si quis pacificatur pro agro dare 900. florenis, ac insuper equum constantem 50. florenis, erit emptio Venditio; licet contrahentes permutationem intendat & nominent. Molina lo. cit. Abbas in c. Constitutus. n. 22. de Religiosis domibus. Bartolus, Gomez, Covarruvias, & alii. Ratio est: quia, quando unum notabiliter excedit, censetur magis esse principale, ad quod semper trahitur minus principale, & accessorium, juxta Reg. 42. Jur. in 6.

20 Nec refert, quod contrahentes alium contractum intendat, & exprimat: quia, si aliquando ex subjecta materia contractus constat, amplius attendi non debet nomen à contrahentibus eidem impostum, cum privata dispositio non possit generale constitutionem immutare. c. Requisiti. 15. de Testament. Petrus Anchar. in c. Canonum statuta, de Constitut. n. 36. Abbas, Molina, & alii. Aliis enim etiam emptio Venditio foret, si quis bovem pro equo, & decem crucigeris pacificetur; imò si absque ulla pecunia interveniente bovem pro solo equo daret, dummodo diceret: vendo tibi bovem pro equo, & decem crucigeris, aut praesè bovem pro equo, quod absurdum esse, nemo inficias ibit.

21 Tandem qualis contractus sit, si non addit ex parte alterutris, notabilis excessus, nec constat de contrahentium intentione, plurimum variant Doctores. Aliqui enim cum Bartol. in L. 1. C. de Rerum permutat. volunt, denominationem faciendam esse a digniori, adeoque censendam permutationem, quae dignior, quia antiquior L. 1. ff. de Aestim. Act. Alii e contra cum Baldo contendunt, fore Emptionem Venditionem, utpote contractum frequentiore, arg. L. 34. ff. de R. I. Nonnulli cum Molina lo. cit. n. 8. Alciati, & Covar. docent, esse mixtum contractum seu duplicem, videlicet partim Emptionem, partim permutationem.

§. II.

De his, qui emere & vendere: Item de rebus, quae emi, vendique possunt, aut debent.

SUMMARIUM.

22 Emere & vendere potest, quicumque lege non prohibetur. Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur. Ibid.

23 Clerici emendo & vendendo lucri causà negotiari nequeunt.

24 Administratores rerum alienarum non possunt emere res, quas administrant.

25 Nec tutores vel curatores res pupilli vel minoris. Nisi forsitan administratione careant.

26 Emere non possunt, qui carent usu rationis. Pupilli quoque, & Minores emere & vendere prohibentur.

27 Gubernatores, Rectores, ac Praefecti locorum, nec non & Nobiles, ac Illustres olim, ubi debebant, emere non poterant, bene tamen hodie.

28 Regula est: Ordinariè nemo cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam.

29 Fallit Regula ista in nonnullis casibus.

30 Et quidem primò tempore necessitatis communis, ubi subditi cogi possunt ad vendendas res, quibus non indigent.

31 Clerici quoque, solum à Judice Ecclesiastico.

32 Indigenis praeter alienigenis est subveniendum.

33 Pauperes indigenae praeter alios sunt juvandi. Ibid.

34 Secundò ob bonum publicum, aut favorem Religionis cogi possunt subditi ad vendendam rem suam.

Ut si est necessaria pro via publica v. g. vel schola publica, vel Palatio Principis erigendis. Ibid.

35 Vel pro erigendo, aut ampliando Monasterio.

36 Imò est absolute necessaria non sit, sed tamen valde utilis, & accommodata.

37 Dominus servum nimis durè tractans, cogi potest, ut eum vendat.

Idem est de Dominis Jurisdictionalibus nimis severis. Reiffenhuels Jus Can. Tom. III.

re tractantibus subditos. Ibid.

Abui nemo potest re sua. Ibid.

38 Alii casus reperiuntur apud Jafonem.

39 Ad emendum, quibus in casibus cogi possunt?

40 Nisi specialiter prohibeatur, quavis res humana commercio subiecta emi vendique potest.

41 Etiam futura, seu quae sperantur.

42 Emptio rei, quae speratur ex causa naturali, est conditionata, videlicet, si nascatur.

43 Emptio verò rei, per fortunam, & per accidens expectata, absoluta est.

44 Emi vendique possunt tam mobilia, quam immobilia.

45 Vendi prohibetur homo liber, nisi major 25. annis consentiat.

46 Filium tamen Pater victis causà vendere potest.

47 Res spiritalis emi vendique nequit.

48 Veneni mali, non item boni venditio prohibetur.

49 Item Res litigiosa.

Litigiosa res, quae? Ibid.

50 Et res universitatis.

51 Turcis, & Saracenis vendi non possunt arma, antinona &c.

Queritur I. Quinam emere, & vendere possint, vel non possint? Resp. I. Quivis videlicet ac licite emere, vendereque potest, nisi Jure specialiter prohibeatur. Est communis & certa. Ratio est: quia in materia communiter non prohibita, qualis est contractus Emptionis Venditionis, utpote Jure gentium, ob necessitates vitae & commercii humani introductus, L. 1. de Contrah. Empt. procedit vulgatum illud ex can. Jam nunc. 8. can. 28. q. 1. & c. 1. de Procurat. in 6. desumptum axioma Glossae, in c. Inter corporalia. vel. Non invenitur, de Translat. Episc. Concessum intelligitur, quod expressè non prohibetur. Prout magis diximus supra Lib. 1. Tit. De Rescriptis. n. 33. & 34.

Resp. II. Plures Jure prohibentur emere & vendere. Patet inductione. Sic enim primò Clerici prohibentur emendo & vendendo negotiari, lucri gratià, can. Clerici. 1. can. canonum. 3. can. Quicumque. 9. caus. 14. q. 4. & quidem sub poena excommunicationis, c. Secundum 6. Ne Clerici vel Monachi. Suspensionis item, ac depositionis, can. Si quis. 4. can. 14. q. 4. can. 2. dist. 88. quas poenas amotà appellatione innovavit Concil. Trid. Sess. 22. de Reform. cap. 1. Dicitur notanter lucri gratià; quia ob suam & suorum necessitatem, tam emere, quam vendere aequè ac alii possunt.

Secundò Administratores rerum alienarum, de Jure nec per se, nec per alium emere possunt res illas quas administrant; nisi id eis specialiter concedatur, textu expresse, Non licet. 46. ff. de Contrah. Empt. ubi etiam poena solutionis in quadruplum contra transgressores hujus legis statuitur.

Tertiò prohibentur Tutores emere bona pupillorum, quae administrant, L. 34. §. fin. de Contrah. Empt. nisi id palam, bonaque fide faciant, atque Contutoribus, si qui sunt, vel propinquis, aut Judicis conciliis, & auctoritatem accommodantibus, l. Pupillus. 5. §. 2. & seq. ff. de Auctorit. tutorum. Eadem Juri prohibito extenditur etiam ad curatores, procuratores, & qui aliena negotia gerunt, l. 34. §. fin. Imò si filius tutoris, vel quae alia persona juri ejus subiecta emerit, idem erit, atque si ipse emisit, sunt verba l. Pupillus. 5. §. fin. ff. de Auctorit. tutor.

Ratio hujus prohibitionis est, ne scilicet hujusmodi Administratores, Curatores, & Tutores, praetextu emptionis, occasione capiant fraudulenter decipiendi illos, quorum bona administrant. Quae ratio, quia in tutoribus, et quibus administratio bonorum pupilli commissa non est, cellat; cum occasione sumi-

Y 2
liter

lier decipiendi careant, cessat etiam circa illos emendi prohibitio, l. Tutores. 6. ff. de Authorit. tutor. ibi: Tutores, quibus administratio decreta non esset, tanquam extraneos, recte a pupillo emere placet.

27. Quartò denique à contractu Emptionis Venditionis arcetur, qui vel à natura, vel à Jure universaliter prohibiti sunt pacifici. Quales sunt infantes, amentes, furiosi, quos omnes, utpote rationis usu carentes, natura ipsa ab omni contractu excludit. Item pupilli, minores, & prodigi, quibus à lege, certo modo interdicitum est pacifici; prout amplius diximus supra Lib. 1. Tit. de Pactis §. 2. per totum, ubi videndum.

28. Resp. III. Quamvis olim Provinciarum & locorum Governatores, Rectores, Præfeti, Vicedomini &c. nullas emere potuerint res immobiles, præterquam prædia, quæ aliquando erant paterna, L. 62. ff. de Contrah. Empt. nec res mobiles alias, quàm quæ ad vicium, & amicum pertinent L. 6. §. 3. de Offic. Proconsul. Ac insuper Illustres, natalibusque nobiliores ab omni mercatura arcerentur L. 3. C. de Commercio & Mercat. L. 6. C. de Dignit. cum concordantibus: ne videlicet horum potentia & auctoritate plebei & inferiores terrestræ, coactè potius, quàm liberè contraherent, inane non sine magno Reipublicæ detrimento: Nihilominus hodie omnes isti non minus, ac alii emere, vendereque possunt, eò quòd consuetudine contraria præfatæ leges sint abrogatæ, uti communiter advertunt DD. & docet praxis ubique vigens.

29. Quæritur II. An aliquando emere vel vendere quis etiam debeat, & ad id invitatus cogi possit? Resp. I. Regula universalis est: ordinarè loquendo, nemo invitatus cogi potest ad vendendam rem propriam, vel emendam alienam. Ita communis, textu claro l. In vitium. II. C. de Contrah. Empt. ibi: In vitium comparare, vel distrahere, postulantis desiderium. justam causam non continet. Ubi Summarium breviter sic habet: Contractus non redduntur in invitum. Concordat l. Nec emere. 16. C. de Jure deliberand. Ratio est: quia suus quisque retinere, atque arbitrio existit, l. In re mandata. 21. C. Mandati; sicque pro libitu suo de ea disponere potest.

30. Resp. II. Fallit nihilominus præfata Regula in nonnullis casibus, in quibus aliquis etiam invitatus à Magistratu, aut alio Superiore legitimo cogi potest ad rem propriam justo pretio vendendam. Glossa un. in cit. l. In vitium. plures tales casus enumerans. Quod idem faciunt Jalon in l. Nec emere. n. 3. & 4. C. de Jure deliberandi. Covarruvias lib. 3. Variar. Resolut. c. 14. nu. 1. 3. & 7. Molina Disp. 34. Castro Palao de Justit. commutat. Disp. 5. punct. 19. Layman lib. 3. Tract. 4. c. 17. §. 5. n. 34. & alii communiter. Probat inductione.

31. Sic imprimis ob communem necessitatem, v. g. tempore famis, inopie frumenti, aliorumve victualium, & rerum ad quotidianum usum necessariorum, subditi quicunque à Domino territoriali, vel ejus Officialibus cogi possunt ad res similes vendendas, sicut & emptores prohiberi, ne plus, quàm libi suisque necessarium est coeant, Abbas in c. 1. h. t. n. 6. Layman lo. cit. Menochius Consil. 237. & communis aliorum, textu claro l. Civitatum. 2. C. Ut nemini liceat: ubi tamen etiam proinde statuitur, ut nullus cogatur vendere omne id, quod sui usus gratia comparavit, sed superflua tantum: quandoquidem satis impium est, suis quemque defraudari, eaque in alios transferri. Concordat L. 14. & 18. C. de Operibus publicis.

32. Cæterum extenditur Juris dispositio etiam ad Clericos, ita ut hi quoque in casu communis necessitatis ad vendendas res suas cogi valeant, non quidem à Judice laico, utpote nullam jurisdictionem, aut potestatem in Clericis habente, sed à proprio suo Ecclesiastico. Jacobus Pignatelli Tom. 1. Consultat. 476. ubi adducit declarationem Cardinalium in una Brundusina 7. A-

priis 1641. Layman lo. cit. & alii, arg. c. Non minus. 4. de Immunit. Ratio autem est: tum quia in necessitate omnia debent esse communia, can. Sicut. 8. dist. 47. Glossa in can. Discipulos. 26. de Consecrat. dist. 5. tum quia Jure Divino & naturali quisvis etiam Clericus fame laboranti succurrere tenetur: can. Pasce. 21. dist. 86. ibi: Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poterat, si non pavisset, occidisset.

Porro tempore necessitatis communis possunt habentes superflua etiam cogi, ut solis civibus & indigenis, vel isdem prius quam exteris frumentum aut alia necessaria vendant, casu quo, utriusque vendenda non sufficiant, Layman lo. cit. Covarruvias Lib. 3. Variar. Resolut. c. 15. num. 7. rem peregre & ad longum deducens. Ratio est: quia cæteris paribus major semper ratio est habenda pro patria, patriæque incolis & civibus quàm exteris: monente S. Paulo ad Galat. 6. Dum tempus habemus, ope mur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei. Concordat canon. 5. Concil. Turonens. sub Pelagio I. ubi Spiritu S. dictante præcipitur, ut unaquæque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascant: quo fiet, ut ipsi pauperes pro civitate alienas non fastigentur.

Secundò cogi quis potest ad vendendam rem suam, quando id exigit bonum publicum, aut favor religionis, v. g. si alicujus privata domus, ager, fundus &c. pro sternenda via publica necessariis est, cogi potest dominus illius, ut eum justo taxato pretio vendat. Covarruvias lo. cit. n. 7. Layman, Molina Disp. 34. n. 2. & communis aliorum, l. Si locus. 14. ff. quem ad serv. amit. §. Cum via publica, vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet. Item ob eandem b. n. publici rationem Molina, lo. cit. & Lugo post Lopez, & Gomez extendunt ad casum, quo fundus domique aliena necessaria est pro erigendis aut ampliandis scholis publicis, palatio Principis, vel aliis similibus, bono publico necessariis, vel admodum utilibus ædificiis de novo construendis aut ampliandis. Addit Layman lo. cit. fabrum ferrarium vicinum scholis publicis, ex eadem ratione, favore nempe boni publici cogi posse, ut vel domum vendat, vel è vicinia migret, si labore suo Professoribus molestiam aut impedimentum creet.

Tertiò etiam ob favorem Religionis cogi quis potest ad vendendam agrum, domum, fundum &c. si pro erigendo, vel ampliando Monasterio, Ecclesia, Hospitali, aut alio simili pii Instituti ædificio necessus est. Rursus communis, signanter Covarruvias lo. cit. Castro Palao de Justit. commutat. Disp. 5. punct. 19. n. 4. arg. l. Si quis sepulchrum. 12. ff. de Religiosis & sumptibus funerum. Ratio est: quia, quod pro Religione facit, etiam pro bono & jure publico facit, arg. l. 1. ff. de Justit. & Jur.

Porro quamvis controversià inter DD. non careat, an cogi quis etiam possit ad vendendum agrum, fundum, domum &c. quæ quidem non absolutè necessaria, bene verò admodum utilis, & proficua foret pro bono publico, aut Religionis favore: Nihilominus communis affirmativè respondet, teste Covarruvias lo. cit. ad finem, ubi communi opinioni & ipse adherens ait, æquissimè quidem facturum Judicem, qui in simili casu recipientissimè DD. sententiæ se accommodans, privatim cogit ad vendendum agrum, domum &c. quando exinde nullum aut sanè modicum venditori accrescit detrimentum: ubi verò detrimentum notabile venditori ex hujusmodi venditione inferatur, potestatem cogendi inferioribus Judicibus non competere, sed negotium per supremum Principem decidi debere arbitratur: quæ doctrina & æquitati, & Juri videtur consona, arg. l. Si quando 9. C. de Operibus publicis.

Quartò

37. Quartò Dominus nimis severè ac inhumanè tractans servum suum cogi potest, eum vendere: §. 2. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni juris. Ratio ibidem redditur: expedit enim Reipublicæ, ne sua re male quis utatur. Idem est ob paritatem rationis, si ad illicita servum traheret, Castro Palao, post Covarruviam, Molinam, & Layman locis citatis. Ob eandem Juris rationem ulterius inferunt DD. citati cum Gail. lib. 1. Observ. 13. n. 5. & Observ. 17. per totum Mynsing. Cent. 5. Observ. 8. Dominos Jurisdictionales quoque, qui supra modum in subditos sæviunt, vel insolitas operas & angarias ab eis extorquent, cogi posse, ut jurisdictionem suam alteri saltem ad sui vitam vendant.

38. Præter enumeratos, sunt adhuc alii, minus tamen frequentes casus, in quibus ad vendendam rem suam cogi quis potest, quos videre licet apud Jalon. in cit. l. Nec emere. de Jure deliberand.

39. Resp. III. Pariter dantur casus, in quibus ad emendum quoque quis cogi potest, quoties nempe id exigit commune Reipublicæ bonum, cui ipsi proficere omni meliori ac possibili modo, uti Magistratus tenetur, ita haud dubie postest cogendo etiam privatos ad emendum, Abbas in c. 1. h. t. n. 6. Layman & Castro Palao locis citatis. Probat & exemplificatur inductione. Sic namque 1. Ad evitandum communem inopiam, cives cogi possunt ad emendum frumentum & alia vitæ necessaria. 2. Idem fieri potest, idum timetur obsequio loci. 3. Justè coguntur subditi ad emenda instrumenta, sicut & alias res, sine quibus Officio, obedientiæ, vel obligationi incumbenti satisfacere nequeunt. DD. citati cum communi aliorum.

40. Quæritur III. Quenam res emi vendique possint? Resp. I. Regula universalis est: Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere, vel prosequi potest, venditio rectè fit. Quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis (vel Jus Divinum, Civile, Canonicum, aut statutum locale, ut cum aliis bene Addit Azorius n. 2. lib. 7. c. 5. §. Res præterea) commercio exuerunt, earum nulla venditio est. Ita expressus textus L. si in Emptione. 24. §. 1. ff. de Contrah. Empt. Concordant d. c. superius Lib. 1. Tit. 35. De Pactis. §. 2. per totum. Ex hac regula

41. Inferunt primò, emi, vendique posse res non tantum existentes, sed & futuras, quæ adhuc existunt in naturali causa, vel alias sperantur: cujusmodi sunt fructus, & partus futuri: item jactus alæ, captus piscium &c. textu claro l. Nec emptio. 8. in princ. ff. de Contrah. Empt. Ubi tamen notabile ponitur discrimen inter res, quas futuras est causa & ordine naturali expectamus; & inter res, quas per accidens & fortunam potius, quàm naturam cursum speramus.

42. Res siquidem prioris generis, v. g. fructus agri, partus animalium &c. censentur emi sub tacita conditione, si nascantur: quâ conditione non adimpletâ, invalida erit Emptio, & restituendum erit pretium Emptoris. Imò si Venditor fuit in causa, ne fructus empti nascerentur, tenebitur etiam ad interesse, cit. l. Nec emptio. Molina Disp. 340. num. 14. Haunold. Tract. 10. c. 14. Controv. 14. §. 1.

43. Res verò secundi generis, jactus alæ v. g. aut captus piscium censentur absolute, & sine ulla conditione emi, ita ut pretium remaneat Venditori, etsi parum, vel nihil capiatur, cit. l. Nec emptio. ubi ratio redditur, quia spei emptio est. Sicut e contra res capta Emptoris erit, etsi duplo excedat pretium l. Si jactus. 12. ff. de Action. empti. Nisi forsitan contrahentes ipsi Emptionem aliter modificent, dicendo v. g. dabo pro quavis libra piscium, quos capies, decem crucigeros: tunc enim haud dubie conditionata censetur Emptio; videlicet, si pisces capiatur. Sicut e contra contractus absolutus foret, si quis prioris generis res emens diceret dabo tibi pro fructu, aut partu, qui speratur, hanc summam pecuniæ, five aliquid, five nihil nascatur. Reiffenschuel Jus Can. Tom. III.

Inferunt secundò, emi ac vendi posse res, five mobiles sint, five immobiles, five corporales, five incorporeales, uti sunt nomina, jura & actiones, debita, hereditates &c. Ratio est: quia omnes & singulas has res quis habere, vel possidere, vel prosequi potest; id quod de Jure requiritur, & regulariter sufficit ad hoc, ut res aliqua rectè vendi, emique valeat. Verum quia in uno alteroque ex præfatis specialis reperitur difficultas, singulatum de his agetur §. sequenti, Interca

44. Resp. II. Res, quæ vendi emique nequeunt, potissimum sunt sequentes. Primò homo liber, l. Si in Emptione. 24. ff. de Contrah. Empt. ibi: Hominem liberum scientes emere non possumus; nisi major viginti annis ad pretium participandum esse venditari patiamur. §. 4. Instit. de Jure personæ.

Specialiter etiam in Jure L. 2. C. de Patribus, qui filios distaxerunt, conceditur Patri, quòd propter nimiam paupertatem, egestatemque, vicissim causâ, filium suum vendere possit; quod ipsum etiam de Jure naturali licitum videtur, prout bene advertunt Covarruvias lib. 3. Variar. Resolut. c. 14. nu. 4. Tiraqueell. lib. 1. de Retract. §. 26. nu. 17. eò quòd proles post Deum maxime obligatæ exillant patri, indeque naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam patris, libertate privati se sinat. Plura de hoc videantur apud cit. DD. & Azorium part. 3. lib. 8. c. 6. per totum.

Secundò emi & vendi nequeunt res merè spirituales, aut spirituales annexæ: talium enim venditio foret simoniaca: per textum can. ut, & penult. can. 1. q. 3. Idem est de rebus sacris, seu sacris causa talibus. Concordat Jus Civile l. Sed Cellus. 6. l. Hanc legem. 22. l. Littora. 51. A. de Contrah. Empt. junctâ l. Sancimus. 17. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. Verum de his ex professo Tit. de Simonia.

Tertiò fieri non potest Emptio Venditio quæ mali, id est talis, quod nullo modo adjectione alienius materis, usui nobis esse potest. l. Quod sæpè 35. §. 2. ff. de Contrah. Empt. De venenis verò, quæ mixta aliis materiis ad nocendum naturam deponunt, ut ex his antidoti, & alia quædam salubria medicamenta consistant, aliud dici potest; pergit in contextu citata l. Quod sæpè.

49. Quartò emi & vendi non possunt res litigiosæ. Patet ex toto Tit. de Rebus litigiosis. item l. Lite pendente. 2. l. Quicunque. 3. & l. Consensus. 4. C. de Litigiosis. Dicitur autem litigiosa res, de cuius dominio, causa movetur inter possessorem, & petentorem, judiciaria actione, vel precibus Principi oblati, & Judicis insinuat, & per eum futuro reo cognitis, Authen. Litigiosa. C. eod. atque amplius declaratum est supra Lib. 2. Tit. 16. Ut lite pendente &c. §. 2. per totum.

50. Quintò vendi prohibentur Res Universalitatis, id est, jure Universalitatis, & non jure singularum possessæ. l. Pacta. 72. §. 1. ff. de Contrah. Empt.

51. Sextò vendi non potest Turcis, Sarcacenis & gentibus Barbaris, hostibus nostris annoa, nec aliquid quodcumque tandem genus armorum, l. Nemo. 2. C. Quæ res exportari. SS. Canonæ. c. 6. 11. & 17. de Jureis, etiam excommunicant illos, qui mercès, vel arma Turcis transmittunt: de quo plura suo loco.

§. III.

De quibusdam Venditionibus in specie: Officiorum videlicet, Nominum, ac Hereditatis.

SUMMARIUM.

52. De Jure naturali non est prohibitum Officia publica vendere.

53. Solvitur Objeccio. & num. 54.

- 55 De Jure humano Officia publica non possunt vendi. Nisi ad sit Consecratio.
 - 57 Vi cuius pretio moderato dignis & idoneis, non item indignis, aut immoderato pretio venduntur licite.
 - 58 Nomina, & Rura emi vendique possunt. Per nomina quid intelligatur? Ibid.
 - 59 Certa solum & liquida, non autem incerta aut litigiosa debita vendi possunt.
 - 60 Certa etiam vendi nequeunt potentior ratione Officii.
 - 61 Debita etiam certa minori pretio emi possunt, si absque difficultate, lucro cessante, vel damno emergente obtineri non possunt.
 - 62 Similia debita etiam ille licite minoris emit, qui ea facillime obtinere potest.
 - 63 Solvitur instantia.
 - 64 Quando hujusmodi debita emi possunt ab Officialibus pecuniis debitas administrantibus.
 - 65 Debitor, si est in causa difficultatis solutionis, prefata debita minoris emere nequit.
 - 66 Secus est, si difficultas solutionis aliunde provenit.
 - 67 Potest idem anticipata solutione minoris emere, si creditor liberaliter offerat.
 - 68 Controversia DD. de Emptione debitorum, quae facile suo tempore obtineri possunt.
 - 69 Doctores affirmantes, talia debita licite minoris emi posse.
 - 70 Fundamenta eorum.
 - 71 DD. negativam tenentes.
 - 72 Ratio eorum.
 - 73 Confirmatio.
 - Ob dilatam solutionem non licet plus vendere. Ibid.
 - 74 Respondetur ad fundamentum Adversariorum. Actio ad rem quando idem sit ac respicit. Ibid. & num. 70.
 - 75 Responso ad confirmationem Adversariorum.
 - 76 Observantia practica.
 - 77 Hereditas nondum delata certi Testatoris adhuc vivens vendi nequit.
 - 78 Nisi Testator ipse consentiat.
 - 79 Hereditas incerta Testatoris cujuscunque etiam adhuc vivens rite venditur.
 - 80 Item hereditas incerta Testatoris, qui est, vel creditur mortuus, sub conditione, si me instituit heredem.
 - 81 Solvitur instantia.
 - 82 Hereditas delata Testatoris jam defuncti libere vendi potest.
 - 83 Hereditas delata quid sit.
 - 84 Nomine hereditatis venditae veniunt omnia, quae ad Testatorem pertinebant, etiam jura & actiones activae.
 - 85 Pontus limitatio.
 - 86 Haeres tenetur emptori restituere, si quid de hereditate dempsit.
 - 87 Actiones passivae contra Testatorem, non transeunt ad emptorem hereditatis, sed manent penes heredem.
 - 88 Potest tamen haeres ante traditam emptori hereditatem, tantum detrachere, quantum pro legatis, & debitis testatoris requiritur.
- 52 **Q**ueritur I. An, & quomodo vendi emique possunt Officia publica? v. g. Praefecti, Cancellarii, Vicecomini, Consilarii, Judicis, Scribae, Tabellionis &c. Resp. I. Spectando Jus naturale non est prohibitum, nec illicitum, moderato pretio vendere offia temporalia, tali, qui idoneus, & Officio beneficentis creditur. Ita D. Thomas in Epistola ad Ducissam Brabant. Opuscu. 21. Covarruvias in Manual. c. 25. n. 7. Azorius part. 3. lib. 8. c. 7. Haunoldus Tract. 10. Controv. 16. §. 6. Castro Palao de

Jus. commut. Disp. 5. punc. 18. n. 13. Cajetanus, Sylvester, & communis aliorum contra Adrianum, & Glossam in c. 1. Ne Praelati vices suas. vers. Conferendi. Fundamentum Conclusio est: tum quia haec Officia quatenus lucrum, & commoditatem afferentia, sunt vere pretio aestimabilia: tum etiam, quia ostendi non potest, qua ratione similis venditio esse Juri naturali contraria.

Nec enim valet illa, quam Adversarii communiter afferunt, ratio, videlicet, quod hujusmodi Officiorum Venditio sit Reipublicae perniciosa, cum occasione illius ad Officia plerumque applicentur, non qui apti & digni, sed qui divitiis abundantes plus offerunt, quantumvis caeteroquin inepti & incapaces existant, quique Officio adepto omnibus modis per fas & nefas adlaborant, ut pretium expensum iterum recuperent, parum vel nihil solliciti, quomodo obligationi Officii satisficiant.

Nam contra est, quod ratio haec tantum locum habeat, si Officia cuivis indiscriminatim, pretioque immoderato, non item si, quod solum concedit Conclusio nostra, id-neo & apto, atque moderato vendatur pretio; uti consideranti patet. Ultrò enim fatetur ob rationem praefatam, perniciosa simul, & scandalosum, indeque summè illicitum esse, indiscriminatim cuivis, pretioque excessivo Officia publica vendere.

Resp. II. Spectando leges positivas humanas vendi & emi non possunt Officia temporalia. Ita clarè patet ex Novell. 8. c. 7. l. Nemo. lo. cit. C. de Adversor. l. 14. C. de Re militaris, junctâ speciali Constitutione Pii V. editâ 1571. quam per extensum refert Navarrus in Manual. 6. ubi severissimè & universaliter prohibetur quaecunque Officiorum Emptio Venditio ob plerumque concurrentia pericula & damna, n. 53. posita.

Resp. III. Nihilominus ubi legitime introducitur habetur consuetudo, validè ac licite Officia temporalia moderato pretio vendi possunt dignis ac idoneis. Ita DD. communiter, praesertim supra n. 52. citati. Ratio est: quia hoc, ac supra probatum, nullo modo adversatur Juri naturali; sed tantum humano, contra quod valida & licita est consuetudo legitime introducitur, c. fin. de Consuetud. Quae ratio cum non tantum in supremis Principibus, sed aliis, ipsis etiam Officialibus procedat, de iis quoque Conclusio intelligenda est; ut proin quivis Officialis officium suum temporale vel pro annua pensione aliqua alteri resignare, vel pro pretio moderato omnino cedere, sicque vendere, valeat, ubi id faciendi habetur consuetudo; qualis vigere dignoscitur in Germania, ubi similes officiorum resignationes, accessiones ab Officialibus, viris etiam timoratis passim praestari videmus. In Gallia, & Hispania, quod Officia à Regibus ac Principibus frequentissimè vendantur, exploratum est. Testatur Azorius lo. cit. id ipsum etiam in Curia Romana praestari: sed sit fides pones Authorem.

Dicitur notanter dignis & idoneis, atque moderato pretio: indignis enim & ineptis, aut excessivo pretio vendere, cum sit perniciosa Reipublicae, simulque scandalosum, utpote inductivum ad varias injustitias, semper & ubique ac respectu omnium prohibiti-um est, non obstant etiam inveterata consuetudine, quae utpote fovens peccata, potius dicenda est corruptela, c. fin. de Consuetud. Concordant dicta Lib. 1. Tit. De Consuetudine. §. 3.

Queritur II. An, & quomodo emi vendique queant Nomina? Praenotandum, per Nomina intelligi jura illa, & actiones, quae alicui competunt ad petendam ab altero solutionem debitam. Hinc actiones etiam passim dicuntur jura debita, credita, Chirographa. Hoc notato, Resp. I. Certum est, Nomina, seu actiones, credita, debita, Chirographa validè ac licite vendi emique posse, etiam ignorante & invito debitore,

debitore. Ita unanims ob clara Jura l. Nominis. 3. C. de Haereditate vel actione vendita. ibi: Nominis Venditio etiam ignorante, vel invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrarij solet. Iisdem penè verbis loquitur L. 1. C. de Novat. Concordat l. Nomina. 17. ff. de Haereditate & actione vendit. quae etiam rationem dat, dicens: ea enim res est, quae emi & vendi potest.

Resp. II. Ut Nomina rite vendantur, debent esse certa, ac liquida, & liti nondum subiecta; nam incerta, vel illiquida, aut litigiosa, vendi & emi non possunt. Patet Conclusio tum ex dictis supra n. 49. tum ex l. Quicumque. 3. C. de Litigiosis. Quibus addendum, quod quamvis, ut infra dicitur, Nomina incerta & litigiosa alteri donari possunt, tamen si quis publicè donationem Nominis sibi factam simulans, occultè aliquid, v. g. 100. pro credito debito 1000. florenorum dedisset, sicque quodammodo emisset, debitor neque tali ementi, neque principali priori creditori plus dare teneatur, quam quod emptor dicto creditori dedisset comprobatur; etiam si occultus hujusmodi Emptor, causam integrè debiti litigiosi in Judicio lucraret. Ita in favorem debitorum, contra ementes & vendentes litigiosa ac incerta debita, expressè statutum habetur l. ab Anastasio. 23. C. Mandati. Verùm de Donatione magis infra.

60 Resp. III. Nomina etiam certa vendi nequeunt potentiori. Textus est in L. 2. C. de Potentiori. ubi etiam creditor puniri jubetur amissione totius debiti illius, quod potentiori vendere nititur. Notat tamen Glossa ibidem vers. Actionis. Molina Disp. 340. n. 7. Layman lib. 3. Tract. 4. c. 17. §. 5. n. 32. legem solummodo intelligendam esse de potentiori ratione officii, aut potestatis exercenda in debitore, ut proin potentiori ratione alterius qualitatis, Nomina certa licite & validè vendeant. De his omnibus, uti etiam de Subsequentibus tractat utiliter Casparus Manzus Part. 3. Praesidii Creditorum per totum, fatis explicans Legem famosam Anastasianam, à suo Authore Anastasio Imperatore sic dictam, rependiendam in Jure Civili L. 22. C. Mandati, junctis L. L. 23. & 24. Ibidem.

61 **Q**ueritur III. Utrum nomina v. g. debita, aut Chirographa certa mille florenorum post annum solvendorum, de praesenti emi possint minori pretio, v. g. octingentis aut nongentis florenis? Resp. I. Debita quantumvis certa, quae ob absentiam, potentiam, tenacitatem, paupertatem, aut aliam odiosam qualitatem debitoris sine difficultate, vel lucro cessante aut damno emergente obtineri non possunt, minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni &c. validè ac licite emuntur. Ita communis & certa, signanter Lessius Lib. 2. c. 21. dubitat. 8. n. 65. ubi conclusionem ut certam supponit, Layman lo. cit. Abbas in c. 2. de Alien. Judicii mut. n. 6. Haunoldus Tract. 10. c. 1. Controv. 14. n. 100. Molina arg. l. Minus 204. ff. de Reg. Jur. Ratio est: quia justum rerum pretium, communi hominum aestimatione statuitur l. Pretia rerum. 63. ff. ad L. Falcid. omnium autem prudentum judicio debitum, quod absque difficultate, periculo, expensis, aut lucro cessante, vel damno emergente obtineri nequit, minoris, ac in se ipso est, aestimatur; ergo.

62 Resp. II. Eadem debita minori pretio emi possunt etiam ab illo, qui ob certam aliquam circumstantiam, v. g. ob favorem Principis, aut Officialium, vel ipsiusmet debitoris, absque omni profus difficultate, & periculo, nec non sine ullo lucro cessante, & damno emergente, praefata debita facillime obtinere potest. Lessius lo. cit. dubitat. 9. n. 75. Layman lo. cit. Lugo Disp. 26. n. 94. Molina 361. n. 10. Sala, Haunoldus & communis aliorum contra nonnullos alios, ut Malde- rum, & Molfesum. Ratio est: quia ubi à lege taxa-

tum non habetur rerum pretium, desumendum est non à singulorum, vel paucorum, sed à communi aestimatione hominum, cit. l. Pretia rerum. 63. ff. ad L. Falcid. Communi autem aestimatione haud dubitè minoris reputatur debitum etiam certum, quod absque difficultate, incommodis, expensis, periculo, lucro cessante, aut damno emergente nec creditor, nec alii de communitate obtinere possunt; ergo.

Nec obstat, quòd in uno vel altero emptore haec ratio diminuendi pretium non interveniat; quia hoc prorsus per accidens se habet, & ad privatam atque specialem fortunam pertinet, quam emere nemo tenetur. Sicut à pari Venditor pretium mercis ex solo hoc capite augere non potest, quòd merx hujusmodi ob specialem aliquam circumstantiam uni alteri-que emptori lucrum aut commodum speciale causet, arg. cit. l. Pretia rerum. 63. ff. ad L. Falcid. ibi: Pretia rerum non ex aestu, aut utilitate singulorum, sed communiter funguntur.

Limitatur tamen Conclusio n. 62. posita, in ordine ad illos Ministros, & Officiales, qui Principum, vel aliorum debitorum pecunias administrant, ex dolo, vel ex negligentia, aut alia culpa in causa sua, quòd solutio debiti, difficilis, periculosa, aut onerosa evadat; hi enim debitum certum minoris emere minime possunt, ne ex dolo & malitia commodum reportent, contra e. Ex litteris. 2. de Dolo & Contum. Secus foret, si ipsi difficili aut periculosa solutionis causa non sint; tunc liquidem aequè ac alii simile debitum minoris emere valent; cum non sint deterioris conditionis ac alii; prout post Lessium cit. dubitat. 9. ad finem bene advertit Layman lo. cit. numer. 39. arg. Reg. 61. Jur. in 6. Ubi tamen etiam ad finem fatetur, hujusmodi debitorum emptiones in Quæstoribus, aut pecuniæ administrantibus periculo non carere; Quod amplius demonstrat Molina Disp. 33.

Limitatur secundo quoad ipsos debitores, qui culpabiliter in causa sunt, quòd praestanda suo tempore solutio debiti caeteroquin liquida, ac certi, non sine difficultate, periculo, aut expensis obtineri valeat; hi namque anticipatâ solutione minoris emere non possunt; Lessius lo. cit. dubitat. 8. num. 70. & teste Haunoldo lo. cit. num. 105. ferme omnes. Tum quia per vulgaria Juris, nemo delicto suo commodum reportare, nec cum alterius injuria ditari debet: Tum quia tales possunt, ac tenentur facere quòd certi debiti solutio difficilis aut periculosa non sit.

Si verò culpa penes debitorem non sit, quòd debiti solutio praefixo futuro tempore difficilis & periculosa existat, sed difficultas vel periculum aliunde originem trahat; v. g. quia ob belli tempora timendum, ne bona debitoris pereant, si que ipse tempore solutionis praestandae, solvendo amplius non sit, tunc aequè ac alii solutionem anticipando, minoris emere debitum potest: eò quòd ratio num. 61. posita tam in illo, quam alii militet; ubi autem eadem ratio est, eadem est legis dispositio, arg. l. Illud. 32. ff. ad Leg. Aquil. Accedit, quòd ipse non sit deterioris conditionis, ac alii. Idem ob eandem rationem dicendum, si debitor anticipando solutionem à creditore desideratam, damnum emergens, aut lucrum cessans patiatur.

Imò Layman lo. cit. post Molinam num. 361. reserò observat, quòd si creditor partem debiti gratis ac liberaliter remittat, ut debitorem ad solutionem anticipandam alliciat, possit (secluso usurario affectu) hoc debitor acceptare, est nullum ex hujusmodi anticipata solutione debitori sequatur lucrum cessans, aut damnum emergens; quia juxta Glossam in Reg. 4. Juris in 6. v. Restituitur. liberalis remissio debiti equiparatur solutioni, arg. l. Item liberatur. 6. ff. Quibus modis pig. & hypo. Et certè nulla videtur adesse culpa, si credi-

ditore anticipationem solutionis sollicitante debitor dicat: bone vir, habe me excusatum, vi contractus nostri, primum post annum erit determinatum solutionis tempus, quo elapso obligationi meae fideliter satisfaciam. E contra creditor reponat; verum tamen si modo solvas, tertiam debiti partem gratis tibi remittam; creditor vero respondeat; ego hoc quidem non desidero; nihilominus quia sponte ac liberaliter ipsemet offers, cum gratiarum actione acceptabo & in nomine Domini solutionem anticipabo.

68 Et quidem circa haecenus dicta de Venditione & Emprione. Nominum DD. satis conveniunt. Verum maxime controversant, an Nomina seu debita liquida, in quibus obtinendis nulla profors difficultas, molestia, aut periculum, nec lucrum aliquod cessans, vel damnum emergens intervenit, minori pretio ex hoc solo capite emi possint, quod modo de praesenti datur pecunia pro debito, primum post aliquod tempus solvendo.

69 Siquidem affirmativam acerrime defendunt Doctores non minime nota. Inter quos numeratur Sanchez lib. I. *Consl.* c. 7. *dub.* 17. n. 5. ubi hanc affirmativam sententiam probabiliorum iudicat. Eiusdem opinionionis sunt Navarrus in *Manual.* c. 17. n. 231. Cajetanus *vers. Usura*, ad finem, Armilla *cod. vers.* n. 50. Innocentius in *c. in Civitate de Usur. Sa.* *vers. Debitum* n. 21. Layman *lib. 3. Tract.* 4. c. 17. §. 5. n. 32. ubi hanc sententiam saltem ut probabilem admittit. Toletus, Bellarminus, Wadingus, & alii.

70 Fundamentum eorum potissimum hoc est; quia iuxta communem hominum aestimationem, qua pretia rerum taxantur, plus valet res praesens quam futura: seu, quod idem est, plus valet res praesens quam jus ad rem, *l. Minus.* 204. ff. *de Reg. Jur.* ibi: *Minus est actionem habere, quam rem: ergo quia emens debitum certum, futuro primum tempore solvendum, dat rem ipsam, debitum huiusmodi minori pretio emere potest.* Praetertim (quod pro confirmatione addunt) quia res futura & absens, quamdiu abest, inutilis sit, utilis foret. In quo casu, plane non apparet, cur una plus altera valeat, ut patet ex dictis.

71 Resp. III. Si non moraliter certa, saltem longe probabilior videtur sententia negativa, videlicet, quod debita certa minori pretio emi non possint, si in suo tempore obtinendis penitus nulla difficultas, vel periculum, neque lucrum cessans aut damnum emergens occurrat. Ita Sylvester *vers. Usura.* 2. q. 14. Lessius *lib. 2. c. 21. dubita.* 8. citans communem, Layman *loc. cit.* Valent. *Tom. 3. Disp.* 5. q. 10. p. 2. Petrus Navarrus *lib. 3. c. 2. n. 162.* Molin. *Disp.* 361. Sotus, Lopez, Gabriel, Haunoldus *Tract.* 10. c. 1. *Controv.* 14. n. 104. Sannig *h. r. c. 3. n. 2.*

72 Probatur Conclusio. Iuxta omnes etiam adversarios illicita atque injusta est emptio venditio, quando non servatur aequalitas inter pretium & mercem, seu rem, quae venditur ac emitur, *arg. l. Si servum.* 33. ff. *ad Leg. Aquilianam*, & *L. 63. ff. ad Leg. Falcid.* atqui si debitum liquidum v. g. 1000. florenorum, in quo obtinendo nulla est difficultas vel periculum &c. emitur minori pretio, v. g. nongentis, non servatur aequalitas; ergo. Minor patet: quia debitum liquidum 1000. florenorum sine difficultate & periculo &c. obtinendum revera valet mille florenis; consequenter si pro eo minus datur, non servatur aequalitas inter pretium & mercem. Probatur antecedens. Si debitum liquidum 1000. florenorum, minus valeret, quam mille, tunc ideo, quia ejus solutio statim haberi nequit; alia namque ratio in casu nostro assignari non potest; atque sola dilatio valorem non minuit; alias enim etiam in mutuo creditor aliquid ultra sortem accipere potest; cum aequè in hoc, ac in illo dilatio so-

lutionis debiti, consequenter inaequalitas inter datum & acceptum haberetur; hoc autem est damnatum ab Innocentio XI. qui inter alias etiam hanc. 41. propositionem damnavit: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numerata, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Confirmatur. Qui rem pluris, quam valet, vendit 73 praesice ob dilationem solutionis, seu quia emptor non statim ac in continenti solvit, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem textu claro *c. Consuluit.* 10. & *c. In civitate.* 6. *de Usuris:* ergo etiam, qui rem, debitum v. g. liquidum, minori pretio, quam valet, emit praesice ob dilationem solutionis, seu quia non statim solvit, aut traditur, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur: cum non sit major ratio de uno quam de altero, uti considerandi patet.

Ad Fundamentum Adversariorum n. 70. positum, 74 respondetur verum esse, quod tam iuxta communem hominum aestimationem, quam iuxta citatam Legem 204. ff. *de Reg. Jur.* plus aestimetur res ipsa, quam jus ad rem, non quidem quasi verò absolute loquendo, res pluris valeret, quam jus ad rem; sed quia in consequenda res, ad quam quis jus habet, ordinario occurrunt difficultates & pericula, lucrumve cessans, aut damnum emergens. Quae praesentia abest, par utriusque valor est, ut recte docent Bartolus in *L. per diversas.* 22. *C. Mandati.* & Bartolus in *L. 2. C. Ut Lite pendente.* *arg. l. qui.* 15. ff. *de Reg. Jur.* ibi: *qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Concordant *c. 6. & 10. de Usur.*

Ad Confirmationem Fundamenti negatur suppositum: quia non verulam in casu, ubi Emptor debiti cum pecunia praesenti negotiaretur, vel alio modo lucrum faceret; hoc enim in casu ob lucrum cessans, debitum etiam liquidum minori pretio emi posse, & nos fatemur: sed loquimur de casu, ubi pecunia sine omni negotiatione in cista, vel alibi otiosa remanens emptori non magis ac absens, ad quam jus habet, utilis foret. In quo casu, plane non apparet, cur una plus altera valeat, ut patet ex dictis.

Ceterum fateri oportet, in praxi rarissime contingere, quod in consequendo debito etiam certo non aliqua saltem adit difficultas, molestia, periculum, lucrum cessans, vel damnum emergens; consequenter a potiori & quasi ordinario quocumque debitum minoris, quam pecunia ipsa praesens aestimari, siquae minori pretio emi valet.

Queritur IV. An, & qualis Haereditas vendi & 77 emi possit? Resp. I. Haereditas nondum delata alicujus certi testatoris adhuc viventis vendi nec valide nec licite potest; nisi testator ipse consentiat. Ita expressè statutum habetur *L. 1. ff. de Haereditat. vel Actio. Vend.* ubi dicitur: *Si haereditas venerit ejus, qui vivit, nihil esse actum.* Idem *L. D. quaestione 30. C. de Pactis:* ubi etiam ratio redditur; quia nempe huiusmodi Emptio venditio est contra bonos mores, ac plena tristissimi & periculosi eventus, utpe inducens votum captandae mortis. Concordat *L. 29. §. 2. ff. de Donat.* *L. 61. ff. de V. O.*

Dicitur autem notanter, nisi testator consenserit: 78 quia licita & valida est haereditas venditio, si ipse de cujus haereditate pactum est, voluntatem suam ei accommodaverit, & in ea usque ad extremum vitae suae spiritum perseveraverit, ut expressè habetur *c. l. 30. de Pactis.* cum sic cesset, & sublata sit acerbissima spes, testatori alia gravis ac injuriola; ut ut ibidem rationem addendo lex loquitur. Dicitur insuper testatoris certi. Nam

Resp. II. Haereditas nondum delata incerta cujus- 79 cunque, etiam adhuc viventis testatoris in communi, licite ac valide emi vendique potest, dicendo v. g. Vendo

Vendo tibi omne id, quod aliquando a quocumque tandem testatore, haereditate acquisiturus sum. Lopez p. 1. *Consl.* 35. *Def.* 17. Molina *Disp.* 140. n. 3. ad finem, & Communis DD. *arg. l. Ea verò.* 3. §. 2. & *l. Si societatem.* 73. ff. *Pro socio.* Ratio est: quia in hoc casu cessat principalis ratio prohibitionis; cum propter incertitudinem haereditatis, de nullius morte spes praematura bonis moribus repugnans & votum captandae mortis inducens concipiatur, uti communiter notant DD.

80 Resp. III. Insuper Haereditas incerta testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus, vendi potest, si qua sit, id est, sub hac conditione: vendi tibi haereditatem mei fratris v. g. qui est, vel dicitur defunctus; si me instituit haereditem, quod ignoro. Ita communis ob textum expressum *l. Nam hoc.* ff. *de Haereditat. & Actio. vend.* ubi Ulpianus hoc modo, inquit, admittit esse venditionem: *si qua sit haereditas, est tibi empti, & quasi spes haereditatis: ipsum enim incertum uti veniat, ut in rebus.*

81 Nec dicas, Conclusionem contrariam esse *l. Cum haereditatem.* 7. ff. *eod.* ubi fit statuitur: *Cum haereditatem aliquis vendidit, esse debet haereditas, ut sit Emptio; nec enim alicui emitur, ut in venatione, & simili- bus, sed res, quae si non est, non contrahitur Emptio.* Respondetur enim legem hanc loqui de haereditate nondum delata certi alicujus testatoris adhuc viventis; e contra conclusionem nostram & legem 11. Nam hoc ibidem citatum, loqui de haereditate testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus. Cur autem hujus, & non illius venditio valeat, cum tamen utrobique incertitudo haereditatis, & quasi alea contra prohibitionem citatae *L. 7. vendi* videatur, ratio praeter jam dictam *num. praeced.* est; quia dum venditur haereditas testatoris adhuc viventis, penitus incertum, infuturum, & ut alea venditur, hoc ipso, quod testator vivus usque ad ultimum halitum voluntatem suam mutare, & haereditatem revocare valeat; ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitam suam premam halitum, *L. 4. de Adim. Legat.* E contra verò dum testatoris jam defuncti haereditas, si qua est, iuxta *L. 11. ff. eod.* venditur, id quod praesens est, venditur, haereditas nempe, quae vel jam est actu certo delata & posita, vel certe non amplius defertur, aut ponetur, utpote testatore jam mortuo. Et ita evitatur discordantia inter dictam *L. 7. ac 11. ff. de Haereditat. vendit.*

82 Resp. IV. Haereditas post mortem testatoris, haerediti jam delata, pro libitu vendi & emi potest. Communis ac certa, *L. 2. & toto serè Titulo.* ff. *de Haereditat. & Actio. vendition.* Ratio est: quia cum suae quisque rei moderator, atque arbiter existat; *l. In re mandata.* 21. *C. Mandati,* de ea pro libitu disponere potest; nisi a lege specialiter prohibeatur.

83 Porro haereditas delata dicitur omnis illa, quam quis remoto quolibet impedimento adire & cognoscere potest, Baldus in *l. posit.* 5. *C. de Jure deliber.* Delatum enim universaliter dicitur illud, quod adeundo statim consequi possunt. Scharidus *v. Delatum.*

84 Queritur V. Quenam nomine haereditatis venditae veniant, ita ut ad emptorem transeant? Resp. I. Omnes & singulae res, jura, & commoda, sive parva, sive magna defuncti, quae haeres titulo haereditatis acquisivit, vel acquirere potuit: item omnes actiones activae utiles ad aliquid prosequendum & acquirendum veniunt nomine haereditatis, & ad emptorem transeunt. Communis textu Claro *l. Qui filii familias.* 14. ff. *de Haereditat. vendit.* ibi: *Si haereditas veneat, venditor res haereditarias tradere debet. Quanta autem haereditas sit, nihil interest.* Concordat *l. Venditor.* 21. ff. *eod.* & *L. 5. C. eod.* ibi: *Emptor haereditatis actionibus mandati eo jure uti debet, quo is, cujus persona fungitur, quamvis utilis adversus haere-*

ditarios debitores emptori tribui placuit.

Limitatur Conclusio in casu, quo emptor haerediti 85 quantitates haereditariae ignaro iniquè ac dolose suadet exiguam, vel minore esse haereditatem, ac creditur; tunc enim venditor ad tradendam totam haereditatem non tenetur, *L. 4. C. de Haereditat. vend.* Sicut e contra, si haeres mendaciter majorem aliter haereditatem ac est, vel aliqua adesse affirmat, quae non inveniuntur, praestare debet quod affirmavit, *arg. L. 15. ff. eod.*

86 Resp. II. Si haeres defuncti aliquid de haereditate vendidit, donavit, dolo, vel culpa laesi destruxit, amisit, aut causa fuit; quod ad haereditatem non venerit, tenetur praestare, seu recompenare emptori haereditatis. Ita clare statutum habetur, *L. 2. §. Sed & si. 3. ff. de Haereditat. & actio. vend.* Ratio est: quia, qui emit universaliter haereditatis, hoc ipso emit, & acquirit jus ad omne illud, quoidquid ab instanti mortu testatoris ad haereditatem perinet; consequenter quicumque hoc jus emptoris iniuste violat, illud restituit debet.

87 Resp. III. Actiones passivae, id est illae, quas alii contra defunctum habebant; item actiones legatariae, ac fideicommissariae non veniunt nomine haereditatis venditae, nec ad emptorem transeunt, sed manent apud haereditem, non obitante, quod haereditatem vendiderit; ut proin contra hunc, non verò contra emptorem haereditatis agere debeant, quicumque de bonis defuncti aliquid praetendere habent. Castro Palao *de Justit. Commu. Disp.* 5. *punct.* 18. n. 2. & Communis aliorum, *arg. l. Actio Juris.* 2. *C. de Haereditat. vend. ibi: Actio Juris postulat, ut creditoribus haereditatis, & Legatariis, seu fideicommissariis te haereditem nempe convenire volentibus, tu respondeas.* Nisi forsitan implemet emptor, creditoribus ad id consentientibus, sponte respondere & satisfacere velit, *arg. cit. L. 2. C. de Haeredit. vend.* Haunold. *Tract.* 10. c. 1. *Controv.* 14. n. 92. Item nisi fideus haereditatem sibi debitam vendat; Nam *es alienum, haereditas, nomine fisci vendita, ad onus emptoris bonorum pertinere, nec fscium creditoribus haereditariis responderet, certum, & absolutum est,* inquit *L. 1. C. eod.*

88 Illud tamen cuius venditori haereditati merito concedunt jura, quod ante traditionem haereditatis venditae, ab ea detrahere possit legata, fideicommissa, & alia onera, nec non omnia debita seu as alienum, iisque satisfacere creditoribus, ac aliis jussim praetensionem habentibus. Item quod, si jam tradita emptori haereditate, à creditoribus defuncti conveniatur, atque satisfacere compellatur, possit emptorem haereditatis, actione negotiorum gestorum convenire, ut tantum ei restituat, quantum ipse solvit creditoribus defuncti, *arg. L. 2. de Haeredit. vend.* Ratio est quia nomine haereditatis plus non intelligitur, quam quod deductis legatis, aere alieno, & quibusvis debitis post mortem defuncti adhuc superest, *arg. l. Subsignatum.* 29. ff. *de V. S.* Consequenter nec emptor haereditatis plus accipere potest, vel si jam accepit, illud iterum tanquam rem alienam reddere tenetur.

§. IV.

De Venditione rei alienae, praesertim furtivae.

S U M M A R I U M.

- 89 Res aliena, etiam furtiva emi potest.
- 90 Dummodò saltem emptor ignoret, rem esse furtivam.
- 91 An etiam ad emptionem rei alienae non furtivae requiratur, ut emptor ignoret, eam esse alienam, controversatur.

- 92 Eligitur sententia affirmans.
 93 Quando venditio rei alienae est valida, tradere eam debet emptori venditor, etsi sciat, eam esse alienam.
 94 Proponitur, & solvitur obiectio.
 95 Invalida venditio rei alienae venditor dominium pretii, non vero emptor dominium mercis acquirit. Et num. 96.
 97 Solvitur instantia.
 98 Emptor rei alienae, eam restituere debet, quando nescit eam esse alienam.
 99 Etsi dominus rei pretium expensum ei non refundat.
 100 Improbatur mala praxis.
 101 Qui emit rem alienam cum intentione eam restituendi domino, iuste praesentit expensas.
 102 Non solum rem sed fructus perceptos restituere tenetur emptor alienae rei.
 103 Controversia DD. an emptor teneatur rem alienam restituere domino, vel possit iterum tradere venditori, ad eoque repetere pretium.
 104 Allegatur DD. scribentes pro emptore, videlicet, quod venditori iterum restituere possit mercem, & ab eo repetere pretium.
 105 Statuitur sententia contraria.
 106 Probatur ex doctrina Adversariorum.
 107 Confirmatur ex sequela absurda.
 108 Confirmatur ulterius.
 109 Respondetur ad probationem Adversariorum.
 110 Firmatur responsio.
 111 Emptor potest rem alienam emptam restituere venditori, si inde nullum sequatur damnum domino.
 112 Si bona fide jam restituit venditori, ad nihil amplius tenetur domino.
 113 Neque, si eandem bonam fide rursus vendidit tertio.
 114 Si res pecunia furtiva emitur, fit emptor rei emptor dominus: Nisi ematur res Ecclesiastica.
 115 Venditor autem non acquirit dominium pecuniae loco mercis acceptae.
 Nisi in suis bona fide commisceat, ut discerni non possint.

89 **Q**ueritur I. An, & qualiter vendi, emique valeat res aliena? Resp. I. Certum est, rem alienam, etiam furtivam valide vendi emique posse, ita tamen, ut subiacet evicitioni. Dicitur namque l. Rem alienam. 28. ff. de Contrah. Empt. Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. Nam Emptio est & Venditio; sed res emptori auferri potest, per evicitionem nempe, de qua infra. Ratio est: quia qui vendidit, necesse non habet, rem emptori facere, seu rei venditae dominium in emptorem transferre l. Si ita distrahat. 25. ff. de Contrah. Empt.
 Resp. II. Ut Emptio venditio rei furtivae valeat, necesse est & sufficit, quod saltem emptor, rem furtivam esse ignoret, sive in bona fide existat: sive deinde venditor sciat, sive ignoret, rem esse furtivam. Ita textus expressus l. Si in Emptione. 34. ff. de Contrah. Empt. ibi: Si emptor, & venditor scit, furtivum esse, quod vendit, a neutra parte obligatio contrahitur, si emptor solus scit, non obligatur venditor, nec tamen ex vendito aliquid consequitur nisi utroque convenierit, praesertim. Quod si venditor scivit, emptor ignoravit, utriusque obligatio contrahitur.

90 Dicitur notanter in Conclusionem rei furtivae; quia an Emptio venditio rei alienae non furtivae sit valida, uterque contrahentium probe sciat, rem esse alienam; vel an pariter requiratur, ut saltem emptor ignoret, rem esse alienam, magna controversia est inter DD. Glossa siquidem in cit. l. 34. ff. de Contrah. Empt. vers. Furtivum. Molina Disp. 127. n. 6. Haunoldus Tract.

10. c. 1. n. 107. L. pez & alii volunt, Emptionem rei alienae non furtivae validam esse, etsi utriusque contrahentium aperte constet, eam alienam esse. Rationem dant; quia in cit. l. 28. ff. de Contrah. Empt. venditionem rei alienae valere statuitur absolute & generaliter, absque ulla distinctione, an contrahentes sciant, vel ignorent, rem esse alienam; a qua lege univ. alter lata cum solummodo excepta reperitur venditio rei furtivae l. 34. ff. eod. reliquae venditiones rei alienae merito censentur includi juxta l. Questum. 12. ff. de Fundo. inst. Nam Exceptio unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. Nihilominus

Resp. II. Emptio venditio cuiusvis rei alienae etiam non furtivae invalida est, si utriusque contrahentium, vel saltem emptori constet, rem esse alienam. Ita Wadingus citatus ab Haunoldo ubi supra, & Clarissimus P. Friderich. Ratio est: quia Lex 28. ff. eod. de Contrah. Empt. absolute & universalius lata, non tantum in venditione furtivae, sed cuiusvis rei alienae, emptore rei alienae conscio, limitatur, si non per l. 34. ff. de Contrah. Empt. saltem per l. Si fundum. 27. C. de Evict. ubi abique omni mentione rei furtivae docetur, quod si emptor rem alienam vel obligatam scienter emerit, venditor eidem de evicitione non teneatur, bene vero, si ignorans, rem esse alienam, contractum emptionis faceret. Ex quo manifeste sequitur, venditionem rei alienae cuiusvisque etiam non furtivae, emptore huius conscio, factam, invalidam esse, hoc ipso, quod venditione rei alienae subintente venditor emptori de evicitione semper obligatur. arg. l. Ex empto. 11. ff. de Action. empti.

Quaeritur II. Quos effectus pariat valida Emptio venditio rei alienae? Resp. I. Quandocumque valide contrahitur Emptio venditio rei alienae, tam emptor quam venditor verò obligantur, ille quidem ad tradendum pretium, iste verò ad tradendam rem venditam, etsi sciat eam esse alienam. Communis, teste Haunoldo lo. cit. n. 113. arg. l. 34. ff. de Contrah. Empt. ibi: Utriusque obligatio contrahitur. Junctâ l. 11. Exempt. ff. de Verbis. 8. ff. de Action. empti.

Dices: nemo potest obligari ad illicitum; atqui illicitum est, rem, quae scitur esse aliena, alteri, quam domino tradere; ergo saltem venditor non obligatur ad tradendam rem venditam, quam scit esse alienam, sed potius obligatur restituere eam domino; etiam si caeteroquin valida sit talis venditio: Respondet Wadingus Tract. de Contract. Disp. 7. dub. 3. §. 1. n. 4. Haunoldus lo. cit. n. 122. Friderich. h. t. n. 160. traditionem rei alienae in hoc casu non esse illicitam; quamvis enim illicite agit venditor, scienter rem alienam vendendo, tamen illicite non agit, contractum jam factum, eandem emptori tradendo; quia quoad venditionem, non item quoad traditionem, emptione jam peractâ, dicitur venditor rationabiliter esse invitus: tum quia hoc ipso, quod leges priorum citatae ob bonum publicum finito jam contractu, traditionem rei alienae mandant, consentire debet, vel non nisi irrationabiliter invitus est, prout vult Wadingus lo. cit. & cum ipso Rath. Theis 38. Tum quia nullum ex hac venditione damnum domino rei emergat, tradendo rem aemptore quam a venditore rem suam repetere ac consequi valeat. l. Rem alienam. 28. ff. de Contrah. Empt. Imò plerumque facilis à bonae fidei emptore, quam ab iniquo venditore rem suam consequi queat, adeoque etiam ex hoc capite traditioni consentire censetur: uti volent Haunoldus & Friderich loc. cit.

Resp. II. Quando Emptio venditio rei alienae est valida, & fit ex parte utriusque contrahentis mutua traditio, pretii nempe pro merce, & contra, acquiritur quidem venditor verum dominium pretii eidem ab emptore pro merce seu re aliena etiam furtiva traditi: in emptorem tamen penitus nullum transit dominium

dominium mercis, seu rei alienae a venditore pro pretio tradit. Communis ac certa quoad utramque partem. Quorum prior pars patet ex l. ex empto. 11. ff. de Action. Empt. & l. Qui vas. 48. §. fin. ff. de furt. ubi ratio redditur: Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est: nummus ergo huius, qui reddendus est ex pretio rei furtivae, non est furtivus. Sunt verba legis. Ex quibus bene inferunt Layman Lib. 3. Tract. 4. c. 17. §. 3. nu. 21. Molina Disp. 327. n. 7. & alii, quod, si postea venditor hujusmodi pecunia ex venditione rei alienae etiam furtivae acquisita, apud mercatorem emat pannum vel quid aliud, rursus tam ipse acquirat dominium panni, quam mercator dominium dictae pecuniae pro panno acceptae.

96 Altera pars aperte constat ex l. ex empto 11. de Action. empti. rem alienam 28. de Contra Empti. l. 6. C. de Rebus alienis non alienari. Ratio est: quia juxta Reg. 79. Jur. in 6. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur: ac juxta Reg. 111. Jur. ff. 1d. quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest; consequenter cum venditor rei alienae, dominium illius non habeat, illud in alium abique consensu domini conferre nequit.

97 Nec dicas, ex hoc sequi, meliorem esse conditionem malâ fidei vendentis, quam bonâ fidei ementis; cum ille non obstante malâ fide acquirat dominium pretii hic verò cum bona fide non consequatur dominium rei seu mercis. Nam contra est, quod iniquus venditor non obstante acquisito pretii domino adhuc obligatus maneat, vel restitutionem debitam facere domino rei alienae; vel re per domino evictâ, plenam satisfactionem praestare bonae fidei emptori; praeterquam quod hic etiam interea, usque dum res evincatur, habeat conditionem usufructuendi, sui praescribendi, arg. l. Quod vulg. 11. ff. pro emptore: estque jam dictum supra Lib. 2. Tit. 26. de Praescriptionibus. §. 5. n. 128.

98 Quaeritur III. An, quid, & cui restituere debeat emptor, si in noxiam venit, rem à se emptam esse alienam? Circa hanc quaestionem quaedam sunt certa, quaedam controversa. Prius quae sunt certa, ponemus. Postea controversia examinabimus. Hinc Resp. I. Emens bonâ fide rem alienam illicite tenetur eam restituere Domino suo, si hic ante tempus ad praescriptionem requisitum comparet, & evincat, seu quod idem est, rem esse suam, sufficienter demonstrat. Ita certa & unanimis; atque clarè desumitur ex l. Mater. 3. & l. Adversus. 4. C. de Rei vindicatione. Ratio est: quia non tantum, qui accipit, sed etiam qui retinet rem alienam domino rationabiliter invito, restituere tenetur, arg. can. Si res aliena. caus. 14. q. 6. Et quidem illico; quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, praesenti die debetur. juxta Reg. 14. Juris, ff.

99 Resp. II. Tenetur emptor rem alienam Domino comparanti restituere; etiam hic de pretio pro re expenso, nec obulium refundat. Rursus certa & communis omnium. Textu Claro l. Mater. 3. C. de Rei vindic. ibi: Rem tuam à possessore, etiam non oblato pretio vindicare poteris. Hinc communis illa frivola, ac iniqua emptorum excusatio: restituum, si dominus prius refuderit mihi pretium, quod ego pro re ipsius, bonâ fide expendi, rejicitur à l. 2. C. de Furtivis; dum ait: Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a domino. Ex quo

100 Inferitur, malam & nunquam admittendam esse modernam plurimorum praxin, qui res alienas furtivas bonâ fide emptis domino comparanti non restitunt, nisi prius pretium pro re expensum, eidem a domino restituatur. Adhuc verò pejorem esse praxin illorum, qui, cum res furtivas vili plerumque emant pretio, non solum hujus refusionem, sed insuper lucrum aliquod à dominis praetendant & extorquent,

Hos enim contra justitiam peccare, & in foro tam externo, quam interno ad restitutionem obligari, nullus dubitat. Quo tamen non obstante, licitum est hujusmodi emptoribus, gratis à domino oblata acceptare, & ut aliquid refundat, precibus convenientibus eundem rogare.

Limitatur autem Conclusio, sicut & doctrina in de illata, in casu, quo quis scienter rem furtivam modico pretio emit, eâ intentione, ut rem sibi acquisitam suo restituat domino, utpote qui eandem forsitan alias aut omnino non, aut certe, non sine majoribus expensis acquisiturus esset: hoc enim casu, emptorem jussu posse petere refusionem pretii pro re expensi, ipsâque dominum in utroque foro ad refusionem hujusmodi teneri, docent cum communis aliorum Covarruvias lo. cit. n. 5. Molina lo. cit. n. 2. Sylvest. ff. Restitutio 3. q. 7. Ancharanus in Reg. Peccatum. Layman lo. cit. n. 26. & alii, arg. can. Rapina. 5. caus. 14. q. 5. ibi: Rapinam emere non licet, nisi eâ intentione, ut cui ablata est, reddatur. Ratio est: quia talis emptor utiliter gessit negotium domini, ob quod dominus recompenfare tenetur, quidquid utiliter in rem ejus alter impenderit, l. 2. ff. de Negotiis gestis. Observat tamen bene Lessius lo. cit. quod si emptor ex praefata bona intentione aequale, vel majus pretium pro re expendisset, dominus ad totius refusionem pretii non teneatur; quia negotium ejus utiliter gestum non esset: quamvis nihilominus ad aliquid, judicio prudentium taxandum, obligatus, remaneat, arg. cit. l. 2. ff. de Negotiis gestis. Caeterum extra hunc casum

Resp. III. Non tantum rem ipsam alienam, sed & omnes ejusdem rei fructus adhuc exstantes; nec non consumptos illos, quos vel à tempore cognita, rei alienae percepit, vel ex quibus jam antea bonâ fide perceptis, factus est ditior emptor, in utroque foro restituere tenetur domino. Rursus communis quoad omnes tres, quas habet conclusio, partes; prout constat ex dictis supra Lib. 2. Tit. 13. De Restitutione spoliatorum §. 7. ubi Jure & ratione sufficienter probata reperitur tota conclusio. Videatur ibidem.

Dicta huc usque de restitutione rei alienae ab emptore faciendâ extra controversiam sunt apud DD. At verò multum controversant, an emptor semper teneatur restituere alienam rem domino suo, vel an possit eam in secreto iterum restituere illi, a quo emit, furti v. g. & contra ab illo petere restitutionem pretii, casu, quo ex circumstantiis praeviderat, quod si furti rem furtivam iterum restituit, ipse quidem à fure pretium expensum sit accepturus, dominus verò rem suam non amplius sit acquisiturus, fure autem discessuro, aut certe restitutionem debitam nequitiam facturo. Econtra verò cognoscat, quod si domino restituat, nec ab hoc, nec à fure refusionem pretii expensi sperare possit, consequenter magnum damnum necessariò incurrere debeat.

Navarrus in manuali c. 17. nu. 9. Lessius lib. 2. c. 104. 14. dubitat. 3. nu. 14. Sylvest. ff. Restitutio. 3. q. 7. Valquez, Angelus, Alexander Alenis, & nonnulli alii volunt, in hoc casu licitum esse emptori, rem alienam restituere venditori, & ab eo pretium pro re expensâ repetere. Fundamentum eorum potissimum est; quod dominus rei rationabiliter non possit esse invitus, consequenter ei non fiat injuria, si emptor, ut se servet indemnem, rem emptam restituat in pristinum statum, tradendo eam furti tanquam venditori, & restituendo ab eo pretium acceptum. Praesertim cum nemo teneatur cum proprio damno rem alterius in meliorem statum redigere, quod tamen sequeretur, si in memorato casu emptor ipsi domino rem restituere deberet; cum id praestans faceret dominum possessorem rei suae, quo utique melior redditur conditio ejus, quam si mansisset apud furem. Melior enim est conditio possidentis